

IOANNES PRAESVL TREVERENSIS.



IOannes ex illustri familia Marchionum Baden sium prognatus, à teneris annis literis institutus fuit. Itaque multarum rerum peritiam nactus, anno ætatis 22, & salutis nostræ 1446 Treuerensis Archiepiscopus constitutus fuit. Eam ecclesiam per quinquaginta septem annos optimè administravit, & inter electores & principes Germaniæ tandem uenerāda canitie & rerum cognitione in maxima existimatione fuit. in hoc uitæ statu ad annū Christi 1503 usque perseverauit, ac ferè octuagenarius Iacobum cognatum successorem habuit. Laurent. Surius in Naucleri continuatione.